

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OBSERV.

dat bonum nomen, nihil aliud dat, quam deprecaturam & ubiq; declaratam bonitatem. Sic psal. C. 18 uocat Dominum יהוה, id est, laudatum ac celebratum. Cum ergo sit nomen Dei bonum, qui sit ut nemini minus q̄ Deo fidamus? Quando nos ex animo bonū hoc nomen Dei celebrabimus? Quoniam ex omni trib.) Hoc scilicet pollicetur se de Deo predicaturum, inq; eo nomen illius celebraturum. Est itaq; quod hic de Deo canit tale, quod faciat ad celebritatem nominis ipsius. Si facit ad celebritatem nominis eius, oportet soli illi competere. Nam gloriam suam nemini communikat. Duorum igitur hic admonemur. Vnum est, quod nemini sit adscribendum, quod ex tribulationibus eripiat, nisi soli Deo: alterū, quod non solum liberat ex periculis Deus, sed id de se predicari, & in eo laudari uult. Sic supra Psalmo quinquagesimo: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me, &c. Iam quis ægrè facit, in quo laudari uult? Quid ergo potest nobis acceptius predicari de Deo, quam quod suos liberat ex omni angustia?

VI. Et in inimicis meis uidebit oculus meus.) Hoc pertinet ad id quod supra dixit, In uirtute tua disperdes illos. Hic dicit se hoc uisurum quoq;. Et notanter dicit, Oculus meus uidebit: hoc est, certè & breui uidebō interitum inimicorum meorum. Ita solemus dicere de re omnium certissima, Videbis hoc oculis tuis. Sic Helizeus dicebat ad quendam ducem Samariæ: Videbis oculis tuis, & non comedes. Ergo Dauid lætatus est de interitu inimicorum suorum, idq; iam tum antequam ille adesset? Atqui Scriptura hoc prohibet. Respondeo: Multum refert, quo affectu hoc dicatur à Dauid. Non dixit hoc odij, uel proprii commodi, aut uindictæ affectu. Alioqui ipse cum posset, manus sua perdidisset inimicos suos. Aliud spectabat. Vinctus erat in regem supra populum Domini. Illum amabat plurimum, & eius gratia inciderat in multas calamitates & irreconciliabile Saulis odium, à quo ad mortem pertinaciter querebatur. Interea fide ac spe pendebat à bonitate Domini. Illam etiam experiebatur ubiq;. Inde colligebat Deum esse adiutorem suum: & hinc futurum, ut ipse tandem liberaretur ab omnibus angustijs, & inimici ipsius perderentur. De hac protectione & bonitate Dei erga se gloriatur, dum de affectibus ipsius gloriatur. Alioqui maluisset uidere salutem Saulis & omnium inimicorum suorum immutationem, quam perditionem. Ita & psalm. 90. intelligendum est illud: Certè oculis tuis considerabis, & retributi onem peccatorū uidebis. Sancti nec seipsos quærant, nec inimicos odio priuato prosequuntur, nec de perditione illorum progenij humani malicia lætantur. Verū quoniam à Deo pendent, & de illius erga se fide & prouidentia gloriantur, & ante omnia diuini nominis gloriam sitiunt: fit ut cum magno gaudio uideant, uel certè uisuros se dicant, inimicorum suorum interitum, quoniam in illo utrumque cum quod Deus sit protector sperantium in se declaratur, tum nominis ipsius gloria uindicatur, quam in hoc mundo obscurabant homines impij. Sic filij Israelis Deo laudes cantabant, ubi Pharaonis impij cum suo exercitu submersionem uiderant. Ita & nos olim cum gaudio uidebimus eorum exitum, qui ueritati Christi pertinaciter repugnant.

PSALMVS LV

TITVLVS.

Ad præcinendum in Neginoth, intellectus Dauidis.

ARGVMENTVM PSALMI.

Contra inimicorum, & maxime eorum, qui amicitiam simulauerant, improbitatem, dolos & imposturam. Ad Deum queritur, illiusq; opem implorat, & aduersarijs ultionem imprecatur. Qui uerò illi sint, & que ciuitas cuius meminit, quia non exprimitur ad quam referendus sit historia hic psalmus, non idem sentiunt commentatores. Quidam Ebreorum exponunt psalmum de coniuratione Absalom, iuxta quem sensum, quæ de ciuitate corrupta ponit, intelligenda essent de Ierusalem. Ex nostris aliqui de ciuibz Keilah exponunt, quod illi iuxta diuini oraculum fuerat Dauidem in manus Saulis tradituri, uide 1. Sam. 23. Puto autem nihil impedire, quo minus de Saule & urbe Saulis Gibeach possit hic psalmus exponi, secundum historiam. Habet tamen pluraq; quæ in ueritate ad Christum pertinent, unde & pleriq; illum de Christo & illius proditore exponunt.

Dispositio psalmi.

Habet autem psalmus quatuor partes præcipuas. Prima est, quæ petit precationem suam exaudiri Propheta. Ea complectitur uersum 1. & 2. Altera narrat afflictionem, & angustias, in quibus constitutus fuit, idq; uersibus 3. 4. 5. 6. 7. 8. Tertia, imprecatur ultionem hostibus, illiusq; causas assignat uers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Quarta, declarat quomodo animum Propheta resumpserit, & futurum sibi diuiniūs auxilium, & impij supplicium pollicitus sit. Huc pertinent reliqui uersus ad finem usq; Psalmi.

PRIMA PARS.



Exaudi Deus, preces meas, & ne auerferis precationem meam. Accommoda temihi, & exaudi me, dum in prece mea circumfessor, & infremo.

Dum id

A *Dum in prece mea circumferor & infremo.*) Ebr. אריר בשיהי ואחריו. Græc. & uulg. lat. Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum. Hieronymus: Humiliatus sum in meditatione mea, & conturbatus. Iustin. Obstreperam in lamentatione mea, & rugiam. Pagnin. Clama bo in sermone meo, & tumultuabor. Felix: Lamentabor in deprecatione mea, & strepitum faciam. Felinus: Vociferor in prece mea, & infremo. Tigurina: Querulor in prece mea & infremo. Campen. Turbatus sum enim, & præ dolore moueo me nunc huc nunc illud, & inter orandum conturbor.

Hac prima parte implorat diuinam clementiam & beneuolentiam, quæ ad exaudiendum preces afflictorum parata est ac prompta. Quod enim dicit, Aduerte aures ad preces meas, & ne auerferis precationem meam, Accommoda te mihi, & exaudi me: nihil aliud est quam, Suscipe confugientem ad te, ac benignus, cognita angustia mea, succurre. Verba quidem nihil aliud sonant, quam exaudiendi petitionem. Verum sensus ipse includit primum diuinam beneuolentiam, unde omnia fluunt: deinde & auxilium, quod plerumque sequitur exauditas cum beneuolentia preces. Inuenias qui afflictum patienter quidem audiant, ut sperare possis sequituram opem, uerum quoniam animo non audiunt beneuolo, fit ut nihil auxilij inde sequatur. Apud Deum non ita habet. Vbi ille audit, coniuncta sunt hæc duo, primum beneuolentia, deinde auxilium. Ad hanc beneuolentiam respicit, quod dicit, Aduerte aures: & Ne auerferis, & accommoda te mihi. Nam hæc sunt beneuolentiæ signa, si princeps oppresso clementer accommodet aurem, caput adflectat, & faciem non auertat. Ardorem & uehementiam, precandi exprimit, dum dicit, Dum in prece mea circumferor & infremo, כשיהי, inquit, in prece mea. כשיהי non significat simplicem precationem hoc loco, sed anxiam illam animi afflicti immurmurationem, qualis erat Annæ matris Samuelis. Vnde & illa 1. Sam. 1. ita ad sacerdotem Eli dixisse legitur, הנה ער הנה, ובעשי רבתי ער הנה. Quoniam è multitudine anxie meditationis meæ & mœoris mei loquuta sum hætenus. Huc facit quod dicit, Circumferor & infremo: quibus uerbis declarat uim animi angustiat, quæ tanta fuerit, ut ipsum corpus quoque inquietum reddiderit, ut fieri uidemus apud eos, qui uehementi mœore concutuntur. Nunc cælum, nunc terram spectant, nunc eunt, nunc redeunt, nec uno loco retineri possunt, quasi mente moti: nunc ad cælum manus eiaculantur, nunc uelut ociose insertas in sinum reponunt, nunc uociferantur, nunc tacite secum immurmurant. Tale quid sibi quoque uisum esse indicat Propheta.

In eo quod tertio idem repetes exaudiri petit, idque statim psalmi initio, admonemur, quod & psalmo superiore uersu secundo annotaui, quanti nobis debeat esse promissa illa in Christo patris beneuolentia: qua fit, ut accessum habeamus ad clementes illius aures, ut cum fiducia queamus opem illius implorare. Quod enim hic Dauid tanto serio petit, hoc nobis Christus pollicitus est, dicens: Petite, & accipietis, &c. Itē: Amē dico uobis, quicquid petieritis, &c.

B *Dum in prece mea circumferor & infremo.*] Notandum est hic, quàm & sancti speciem subinde præferant impatientiæ. Quid enim aliud spectantium oculis ingeritur, ubi uir orans mœore correptus, ui cominoti animi externo corpore ita iactatur, ut non procul à specie hominis mente commoti esse uideatur? Cohibeamus ergo iudicandi temeritatem, ne statim damnemus afflictorum uoces, gestus, lamentationes, & si qua alia huiusmodi doloris ac mœoris uehementia extorserit, ne filios Dei condemnemus. Gestus Annæ matris Samuelis tales apparebāt sacerdoti Eli, ut ebriam à uino iudicaret, sed malè. Iob dicebat, Maledicta dies, in qua natus sum. Idem & de Hieremiah legitur. Vtrique uiri Dei eximia fuere pietate & patientia præditi, & tamen uehementiæ mœoris ac doloris hætenus cedere coacti sunt. Talis impotentia animi, uocis, suspiriorum, eiulationum, uerborum, gestuum, sanctis ipsis displicet plurimum. Agnoscunt enim ista imbecillitatem quandam carnis referre. Vnde & in mœore constituti, secretos amant recessus, in quibus sese coram Domino liberè absque ullo inspectore profundant. Annotata sunt ista in scripturis, non ad uituperia sanctorum, nec rursus in hunc finē, ut talia imitemur: sed primum, ne si tale quid nobis uisum fuerit, desperemus: deinde, ne horum gratia quenquam condemnemus.

ALTE RA PARS.

3 A uoce inimici, à facie afflictionis impij: quoniam uolunt super me iniquitatem, & in ira odio me prosequuntur.

4 Cor meum trepidat intra me, & terrores mortis ceciderunt supra me.

5 Timor ac tremor inuaserunt me, & occupauit me pauor.

6 Et dixi, quis dabit mihi alas sicut columbæ: auolabo, & requiescam.

7 Ecce elongabor aufugiens, & commorabor in deserto. Selach.

8 Properabo ut proripiam me à uento euellente & disperdente.

Et occupauit me pauor.) Ebr. חלצתי מן החרב. Græc. & uulgata latina: Et cõtexerunt me tenebræ. Hieron. Et operuit me caligo. Felix, Et operuit me horror. Pagninus: Et operuit me tremor.

N

Properabo

LECTIO.

Ver. 2.

OBSER. I.

Matt. 7. & 18.

OBSER. II.

1. Reg. 1.

Iob 3.

Hier. 20.

LECTIO.

Ver. 5.

Ver. 8. *Properabo & eripiam me.*) Versum hunc Græc. & uulg. Latina sic reddunt: Expectabam eum qui saluum me fecit, à pusilla nimitate spiritus & tempestate. Hieron. Festinabo ut saluer à spiritu tempestatis & turbinis. Sic & Iustin. Felix: Accelerabo fugam mihi à spiritu uehemēti, à tempestate. Pagnin. Festinare me, à uento qui suscitatur à turbine.

Hæc est altera psalmi pars, quæ quasi narrationis uicem obtinet. Exponit enim in quibus constitutus sit angustijs, & quid ab hostibus sibi intentetur.

A uoce inimici.) Dixerat, dum in prece mea circumferor & infremo: iam subdit, unde sit illa titubatio & tumultuatio. A uoce, inquit, inimici. Vocem exponunt quidam minas, quidam uociferationē. Mihi uidetur significare imminētē iamiam hostē, cuius quasi irruentis audiat uocē, & expauescat. ad quod fecit & quod subiicit, A facie afflictionis impij. Quoniā uoluūt super me iniquitatē, &c. Hæc causam exponūt, quā erga ipsum prætexebāt impij. Intentabant illi crimen. Si de Saule exponimus, ille imputabat Dauidi crimen ambitus, quasi regnum ambierit. Si de Absalomo, is iniustitiæ patrem insinulabat, quasi iudicium & iustitiam populo non fecerit. Et in ira odio me prosequuntur. Ut intelligas, intimationem criminis manare non ex promerita uindicta & ira, sed ex odio immerito. Quod illud odium indignatium aduersum Dauidem impiorum fuerit, uide in historia Shaulis.

Ver. 4. & 5. *Cor meum trepidat.*) Duobus hisce uersibus exprimit cordis sui anxietatem, timorē, tremorē, pauorem. Auxesim habent ista, בְּקֶרֶב. In medio mei, item terror mortis, quo non est uehementior ullus: isq; non simplex aliquis ac momentaneus, sed creber. Hoc est, quod pluraliter dicit, Terrores mortis. Et illud בְּקֶרֶב יָדַי. Et operuit me, & totum occupauit pauor.

OBSER. I. *Quoniam uoluunt super me iniquitatem.*) Duo queritur hoc uersu præter persequutionem, de impijs inimicis suis, in quibus expressum est ingeniū impiorū, ut se habeat erga iustos & pios. Vnū est, quod odio & indignatione pios prosequuntur: alterū, quod mendacijs & fictis criminibus illos grauare conātur. Nō quod in se malū sit odio quēquā prosequi, & criminis alicuius arguere, cū & Deus odio prosequatur operātes iniquitatē, & Dauid perfectō odio impios prosequutus sit, & Ioseph fratres suos accularit corā patre de crimine quodā pessimo, & Christus imputauerit sacerdotibus, scribis & Phariseis multā impietate. Et iusti odio prosequūtur impios, & accusant & persequuntur: sed nō immeritō, nec quosuis, nec temerē. Impij uerō hæc cōmittunt in pios præter omnē rationē, imō contra rationē, qua debebant illos magis amore prosequi, cōplecti ac colere. Quid in Dauide displicebat Sauli? Quoniā scilicet uidebat Dominū esse cū illo, & quod omnia prosperē exequeretur, & quod propter cēsū Goliath prædicabatur. At ista erāt magis amāda quā odio prosequēda. Cur illi Saul crimē fictū intētabat? Ne uideretur innocentē persequi, & ut odio publico illū redderet obnoxiiū. Sciebat illius innocentiam, sed magis quærebat quomodo nō uideretur, quā quomodo nō esset iniustus. Hoc per. D petuō agūt impij. Accidit & ipsi Christo, & post illū Christianis, & antē Prophetis & iustis multis, quos impij non simpliciter, sed tanquam fontes oppresserunt.

OBSER. II. *Cor meum trepidat.*) Et hic locus nō est prætereundus. Videmus enim apertē, quā sancti, licet & fide sint & bona innocentia cōsciētia præditi, nihilominus ubi periclitandū est, & timori & tremori, terroribus & pauori sint obnoxij, cū tamē Stoici putēt ista in sapientē ac iustū cadere nō posse. Et hodie quidā gloriosum putāt, si nullā pauoris, dū occiduntur, significationē prodant. Rursus impij, ubi animum iusti consternatum uident, tanquam reo insultant.

Ver. 6. *Et dixi, Quis dabit mihi pennas.*) Quid optarit sibi in angustia sua, & quid cōsiliij cepit animo, tribus hisce uersibus aperit. Est autem hoc uulgare omnibus angustiatīs, ut fugam meditentur, ut alicubi tutius queant consistere. Horror enim periculi in fugam rapit & impellit & homines & bestias. Quod si nō datur copia fugiendi corpore, uel animus uotis exequitur, quod corpori negatur. Ita & hic Dauidi usuenit. Cupiebat angustiatius fugere, perq; fugam sibi cōsulere, & ad tutiora se recipere. Verū quoniam id non statim dabatur, optabat ut liceret aufugere. Et quoniam periculi urgebat non solum magnitudo, sed & instantia, quam exprimit comparatione tempestatis & turbinis, hoc est, ut Ebr. habet, flatus euerrentis ac disperdentis: ideo optat quā ocyssimē, deinde & longissimē, & præterea in talem locum aufugere, in quo possit tuto conuiescere. uehementiam & instantiam periculi ponit uersu 8. dicens: Properabo, ut eripiam me à uento euellente & disperdente: fugæ uelocitatem & festinantiam uersu 6. cum dicit: Quis dabit mihi alas sicut columbæ, auolabo. Et uersu 8. Properabo, ut eripiam me. Emphasis fugæ est non solum in uolatu, sed & in uolatu columbæ, quæ tam præcipitis est uolatus, ut nisi in aere plaudat alis, ut Plinius habet, atq; ita cursus rectitudinem & festinantiam ipsa impediāt, tuta sit à rapina accipitris. Longinquitatem fugæ notat, quod dicit, Ecce elongabor aufugiens: Uersu septimo. Loci uerō securitatem ponit dicens: Et commorabor in deserto. Hoc fecit etiam, ubi fugiendi copiam assequutus est, ut legimus 1. Sam. 22. 23. 24. In eo quod insidias inimicorum suorum metuens, fugam meditatur & optat, uidemus nihil insolē esse, si & hodie quisquam certa & imminētia pericula euadere cupiens fugiat, quando hoc & sanctis Dei uiris usuenisse legamus, idq; præcipuis. Sunt ne potiores aliqui in ueteri testamē

Lib. 10. ca. 37.

OBSER. I. *deserto.* Hoc fecit etiam, ubi fugiendi copiam assequutus est, ut legimus 1. Sam. 22. 23. 24. In eo quod insidias inimicorum suorum metuens, fugam meditatur & optat, uidemus nihil insolē esse, si & hodie quisquam certa & imminētia pericula euadere cupiens fugiat, quando hoc & sanctis Dei uiris usuenisse legamus, idq; præcipuis. Sunt ne potiores aliqui in ueteri testamē

A to, Mose, Dauide, Heliah, & in nouo (extra Christum, qui tamen & ipse aliquando furorem inimicorum suorum declinasse legitur) apostolo Paulo: & tamen fugisse leguntur, mortis periculum ueriti, ut Moses Exod. 2. Dauid toties. 1. Sam. 19. 21. 22. 23. Elias 1. Reg. decimo nono. Paulus Act. 9. & 2. Cor. 12. Quin & Christus discipulos suos fugere iussit, Matthæi decimo dicens: Si persequuti uos fuerint de ciuitate una, fugite in aliam. Non est itaq; culpandum in sanctis, quod tantis uiris accidisse legitur. Et potior est ista carnis infirmitas (si ita uocanda sit) quam præpostera audacia eorum, qui turpe putantes, si fugiant certum periculum, absq; ullo fructu periculum sustinent. Ego sapientiam magis esse duco, inde fugere, ubi & præsens est periculum & certum, nec datur aliquid efficere ad gloriam Dei, maxime cum spes sit, ut possis alibi prodesse, uel certè alio tempore. iuxta prouerbum illud, Vir fugiens denuò pugnabit. Laudantur à quibusdam milites, maxime Germani, quod desperata uictoria, & hostibus iam uictoriâ adeptis, manus tradere noluerint, sed trucidari maluerint. Ego uerò culpandum hoc esse iudico, tanquã summam insaniam, & peruersam inanem gloriæ uenationem, & certū indicium iræ Dei. Quis enim sanæ mentis esse reputabit, qui ubi tempestas maris imminet, cum liceat ad portū se recipere, nolit: sed gloriosum duxerit, cum uentis & fluctibus luctari? At quid aliud est, quando tyrannica uiolentia quæque prosternens, instar ualidi uenti grassatur, nec audiens quicquam, nec expendens, quàm tempestas quædam uiolenta sine mente, sine ratione, sæuiens, & obuia quæque proterens? Vnde & furorem inimicorum suorum Dauid uersu 8. tempestatem uocat & turbinem: uentum scilicet, omnia prosternentem ac subuertentem. Fugit Moses ad tempus, cedens iræ Pharaonis. Nondum enim uenerat tempus pugne. Verum postea egregiè tyrannum debellauit. Fugit Dauid, cedens furori Saulis: & cedendo ac fugiendo, iræ diuinæ in Saule locum dedit, atq; ita uictor euasit. Fugit Elias, primū sæuitiam Achab, iussus à Domino: uerū postea reuersus, magno animo se tyrāno opposuit, & ultionē de facerdotibus ac Prophetis Baal sumpsit. Fugit à Damasco Paulus, cū à præfide urbis illius, instigātibus Iudæis, ad necē quæreretur: uerū postea iterū Damascum reuersus, discipulis profuit. Vtrū melius fuerat primū cōtempto hostiū furore, mortē subire Mosen, Dauide, Eliā, & Paulū, atq; ita inutiliter interire, & postea prodesse nō posse, an fugere, & postea ad meliora redire?

Deinde & illi plurimū errant, qui fugam putant indicium esse animi sibi malè conscij. Cogitēt quid dicturi sint ad fugam Mosis, Dauidis, Eliæ, Pauli, deinde & ad iussum Christi, quo suis præcepit, ut persequutionem passi fugiant, qui certè bona conscientia fuga sibi consuluerunt. Vbi causa non expenditur, nec ullū iustitia locum habet, sed uis regnat & crudelitas, immeritō malè causæ suspitione grauat qui fugit. Fertur de Iohanne Huls, quod Constantia à facie Concilij fugere tentauerit: itē de Hieronymo Pragensi, quod fugerit, sed ui partis aduersæ interceptus, & Constantiā reductus sit. Meritō scilicet optimi uiri fugā meditati fuerant, à facie eorum, qui, ut Hieronymus alicubi inquit, ad occidendum instructi erant, non ad docendum. Nolo, inquit, ille mihi imperet, qui me opprimere potest, docere non potest.

In eo, quod in desertum locum, relicto mortaliū cōsortio, ad bestias scilicet aufugere cupit, quod & postea fecit, notatur summa crudelitas hostiū: quæ tanta fuerit, ut homini humanitus affecto, & nō solitudinis natura appetenti, sed politico & sociali satius fuerit apud bestias agere, quàm apud homophylos, & contra naturā suam adactus sit petere solitudinē, relicto hominū cōuictu. Auxesim huius habet, quod nō dicit, Fugiam in desertum: sed, Morabor in deserto. Et Selah adiectū, expendendā esse indicat istam miserā & calamitatē. Accedit & hoc, quod in populo Dei obtinuit ista inhumanitas. Legimus de Christianis, quomodo in Ecclesia primitiua sæuiente persequutione solitudines pleriq; petierint & incoluerint. At isti fugiebāt gentes incredulas & impias, ex professō Christi hostes, quod certè nō nihil solatiij adferebat fugientibus. Hic uerò nō ita, sed fugabatur Dauid à populo Dei ad bestias: quod multo erat miserius. Talē fugā meditabatur & Hieremias cap. 9. dicens: Quis dabit mihi in solitudine diuersorium uiatorū, & derelinquam populum meū, & recedam ab eis? Sed nunquid Dauid, quod à populo Dei in solitudinē fugatus est, & Hieremias, quod talē fugā sibi dari optat, & secedere à populo Dei, ambo hæretici fuerūt, & excōmunicati à populo Dei? Quid miri fuerit, si & hodie quisquā cupiat, relicto Christianorū cōsortio, in solitudine agere, potius quàm inter eos, ubi & im pietas & crudelitas quasi de uictoria inter se certant? Hæc dicens, non culpo Christi populū, quem ex animo ueneror & complector, sed præsentium temporum calamitatem deploro.

P A R S T E R T I A.

9 Disperde Domine, diuidelinguam eorum. Quoniam uidi iniquitatem & contentionem in ciuitate.

10 Die ac nocte circūdāt eā intra muros ei, iniquitas & molestia in medio eius.

11 Prauitates dolosæ in medio eius, nec recedit de platea eius dolus & fraus.

12 Quoniā is me, pbro affect, q nō erat inimicus, (tulissē alioq;) & is sese ad uersum me erexit, qui me odio nō psequabatur (alioq abscondissē me ab illo.)

N

Sed tu

Exod. 7. 8.

1. Reg. 19. 20.

3. Reg. 17. 18.

Galat. 1.

OBSER. II.

- 13 Sed tu homo uelut aequalis ac socius meus praeceptor meus. & notus meus.
 14 Qui secretum unā suauiter comunicabamus, in domum Dei ambulabamus coniunctim.
 15 Irruat super illos mors, descendant in sepulchrum uiui: quoniam maliciā in habitatione eorum, in medio eorum.

LECTIO. Disperde Domine.) Ebr. בליץ Græc. καταλυτισον. Vulgata latina, Præcipita. Sic & Hieron. & Iustin. & Felix. Pagnin. Perde. Tigurina, Degluti.

Ver. 9. Circundant eam.) Ebr. סרבה. Græcus & Vulg. latina singulariter, Circumdabit eam. Legunt illi Ebræa sine punctis. Hieron. Circumeunt muros eius. Sic & Iustinianus.

Ver. 10. Prauitates in medio eius.) Ebr. בקרבה. Græc. & Vulg. latina, partem hanc omiserunt, & loco illius posuerunt, Et iniusticia. Hier. Insidiæ in uitalibus eius. Iustin. Insidiæ in medio eius. Dolus & fraus.) Ebr. רמיה. Græca & Vulgata latina, Vsurā & dolus. Hieron. Damnum & fraudulentia. Iustinianus, Falsitas & fraudulentia. Felix, Iniquitas & fraus.

Ver. 14. Qui secretum unā suauiter comunicabamus.) Ebr. אשר יחדו במתק סוד. Græc. & Vulg. lat. Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hieron. Qui simul habuimus dulce secretum. Sic & Iustinian. Reliqua concordant.

Hac parte duo agit Propheta: Vnum est, quod imprecatur ultionē ciuitati hostiū corruptissimæ. Alterū est, quod cur hanc imprecetur, causas assignat. Quæ autē sit illa, non liquet certò, ut & suprā memini. Mihi tamen adhuc uidetur notari corruptio ciuitatis Gibeah, in qua Saul habebat sedē regni, quod tales ciuitates, in quibus regnāt & agūt impij principes, plerunq; ad hunc modum soleant esse corruptissimæ, propter uarias omnis generis uitiorum occasiones.

IMPRECATIO VLTIONIS.

Versu 9. dicit: Disperde illos, diuide linguam eorū. Versu quintodecimo: Irruat mors super illos, descendant in sepulchrū uiui. Ergo duplicem illis ultionem precatur. Prima est, ut destruat potestas eorū, colligatio, & nocendi facultas. Loquitur enim de illis, qui in aula ciuitatē Saulis erant potiores ac potentiores, & per regis impij uires, quosuis infontes opprimebant. Quoniā illi quasi conspiratione facta, sese inuicē in maliciæ studio iuuabant. ideo imprecatur illis dispersionem ac dissipationem colligationis, ita ut qui antea erāt in malo concordēs, reddātur sibi inuicem aduersissimi: & qui quasi una & eadē lingua calumnias infontibus apud impium regē struebant, iam dissidenti lingua alij aduersetur, ut incipiant ipsē malitiæ uiribus & instrumentis, quibus hactenus pios ac bonos uiros læserāt, seipsos conficere ac cōsumere. Hoc mihi uidetur esse quod dicit: Disperde illos, diuide linguā eorum. Est autem ista ultio omnium iustissima, ut primū impiorū nocendi facultas dissipetur, deinde conuertatur in ipsorum caput, quo infontes læserunt, & proprijs sese mucronibus conficiāt, quibus hactenus infontes transfixerunt. Est autem probè notandum quod hostibus dispersionē, deinde & linguæ diuisionē, imprecatur. Vidit absq; dubio nocentissimam pestē esse, si in ciuitate, maxime ubi potestatis est & regni sedes, improbis non solū sit locus, sed & liceat in unū conspirare, mutuas ad oppressionē bonorum operas coniungere, deinde ueluti eadē lingua calumnias struere. Vbi malū hoc regnat, necesse est simul impunē regnare omnē tyrannidem, extingui omnē iusticiā, & omnia ui, dolo ac uersutia geri. Hic nullum est remedium, quā ut precemur Dominum, quo colligationes istas improborum dissipet, & linguam eorum diuidat.

Altera ultio est, ut prorsus auferantur de terra uiuentium, & auferantur eo modo, ut conspiciam sit omnibus, auferri iusto Dei iudicio. Atq; hoc est quod uers. 15. non solum dicit, Irruat mors super illos: sed addit, & descendant in sepulchrum uiuentes. Quo respicere uidetur ad supplicij genus, quod de Chore, Dathan & Abyron, & alijs qui cū istis improbè contra Moysen cōspirauerant, Num. 16. sumptū esse legitur, ita ut terra uiuos absorpserit. Precatur ergo, ut nō moriantur consueta mortalium morte, sed tali, quæ omnibus diuinam uindictam declaret. Tale quid & uersu ultimo ponit. Oportet improbos istos prorsus fuisse deploratos, quod tā acerbum illis & omnimodum exitium imprecatur. Dixi in fine psalmi superioris, quomodo sancti ultionem hostium suorum optent, uel cupidè uideant.

CAUSAE CVR HANC VLTIONEM ILLIS IMPRECETVR.

Assignat ultionis huius rationes, ob quas digni sint, qui ita puniātur. Ponit autē tales, quæ nō sint uulgares, quæ non referant infirmitatē aliquam humanæ fragilitatis, sed quæ sint præcipuæ & destinatæ maliciæ testes, & ingeniū referant prauū, peruersum ac perniciosum, cuius nemo possit ullo pacto, etiāsi maxime cupiat, misereri. Quid ergo de illis cōqueritur? Quoniā uidi, inquit, in ciuitate eorū uim & contentionē, &c. Queritur illos esse uiolētos & contentiosos, iniquos & molestos uersutos, dolosos, & fraudulētos. Hoc est, oppressores infontū, & turbatores quietorum: idq; nō aperta solum ui grassantes, ubi locus est, sed & fraude ac dolo, ubi ui non licet, incautos circumuenientes, cum subinde foris amicitiam simulent. Et ne putes le-

Auiter ac modicè hanc pestem ciuitatem istà attigisse, dicit eam circumquaq; uniuersam ciuitatē, in plateis publicè, in ædibus, ubi maximè uigere debebat candor, & mediò illius, idq; nō ali-
quandiu tantum, sed die ac nocte, occupasse. Et hoc se non habere ex aliorū relatione, sed corā
uidisse. Deinde quod se potissimū concernit, queritur de quodā falso ac subdolo amico, à quo
sit probro & calumnia præter omnē expectationem affectus, quē per apostrophē alloquitur,
pristinæ uitæ societatem, conuictū & amicitiam opprobrians: ut indicet, illū omnino peruerso
fuisse ingenio. Et apparet uel de Saule loqui, quoniā eum uocat præceptorē suū: uel de aliquo
alio, quod magis puto, in aula Saulis potente, quem habuerit rerum gerendarum collēgam
ac socium, & talem amicum, cum quo omnia secreta communicauerit: idq; non simpliciter,
sed suauiter, hoc est, uehementer amicè: & præterea, quem non solum pro suo, sed & Dei ami-
co coluerit. quod notat, cum dicit, In domum Dei ambulabamus coniunctim. Quod autem
eum ipsum alloquitur, indicium est animi summo stupore affecti, & quod ista perfidia unius
hominis plurimum sibi doloris attulerit. Nam ita comparati sunt, qui in aduersis rebus pro-
pter inimicorū improbitatē iactātur, ut nō nihil conuiescāt in fide amicorū. Proinde ubi illos
animaduertūt, & ipsos cōtra se facere, & perfidē diuersum ab eo quod amicorum est machina-
ri, mirū in modū perturbātur, & plus inde doloris q̄ ex reliqua uniuersa calamitate cōcipiunt.

Quoniam uidi uim & contentionem in ciuitate. Habemus hic exemplū ciuitatis corruptissimæ, **OBSER. I.**
in quo tria sunt notāda. Primum, Quanta sit pestis, si magistratu impio existēte, locus detur im-
probis hominibus, qui malis moribus & malo ingenio, ui, fraude & imposturis suis, nō solum
perturbent, sed & fermenti instar corrumpāt statū ac sinceritatem ciuiū, ubi malum, ut solet,
sicut cācer serpit, donec uicina omnia occupet, & tota ciuitas infecta reddatur. Modicū fermē-
ti, inquit Paulus, totā massam corrumpit. Habet malū sua initia, habet suos progressus, quibus
in immensum usq; paulatim assurgit. habet fecundū ac pingue solū, mentes uidelicet morta-
liū ad omne malum procliuēs. Proinde si quis cupiat ciuitatem esse sincerā, principijs malorū
& corruptionis obstat. Deinde in eo quod meminit & cōtentionis & molestiæ, admonet nos,
quid corruptionē ciuitatis sequatur: nempe omnis generis molestia, inuidia, ira, rixæ & contē-
tiones, dū omnes iniustitiæ student, patientiæ nemo: dū quisq; suis obsecundat affectibus, &
quod cupit per fas & nefas persequitur, & calumnia calumniā prouocat, ita ut magistratus ne-
gligentia meritis pœnas luat, dū quotidianis contentionibus, iurgiis ac rixis, ingēti molestia
sedatis ac componendis distineri cogitur, ut ciuili motus ac factionis periculū taceam. Vbi
nanq; obtinet & regnat impietas, ibi necesse est intereat pax & tranquillitas. Nō est enim pax
impijs, dicit Dominus. Et, Cor impij est sicut mare feruēs. Tertiū est, quā horribili supplicio **Esā. 48.**
obnoxia sit talis ciuitas, nō solū ex præsentī ultionis imprecatione, sed & ex gemitib. sulpirijs
& uotis piorum & oppressorum, quē quotidie ad Dominum in cœlos conscendunt, notari po-
test. Ad hæc, ipsum conscientiarum nostrarum testimonium quid non horrendi iudicij mina-
tur, dum quotidie agnoscimus, & mutuo assensu fatemur, omnia esse corrupta, nihil restare a-
liud quā irruptionē iræ Dei.

Quoniam is me probro affect. Videmus tribus hisce uersibus, primū quales sancti amicos sibi **OBSER. II.**
deligāt: tales scilicet, quos putant esse pios ac Dei timentes, eiusdē religionis ac fidei. quod pa-
tet in eo, ubi dicit: Ad domū Dei ambulabamus coniunctim. Nam primariū illis perpetuū est
studium pietatis, & quod uulgare est, nempe ut paria paribus congaudeant: & ut Græci dicūt,
τὸν αὐτὸν ὁδὸν ἀναστρέφονται, in sanctis quoq; locū habet. Deinde quā sint amicitia obser-
uantes, patet in eo, quod meminit cōmunicationis secretorū. Nam ita comparatum est inge-
nium piorū, ut sint humani, mites, charitatis affectu præditi, fidi, & fidē facile præbentes, om-
nia bona credētes, & sperantes, dū iuxta suum ingenium metiuntur & alios. Tertiō. Videmus
etiā isto exemplo, quā & sanctis, dū pios amicos diligunt, dū amicitiam sanctē custodiunt, ni-
hilominus imponatur, ut incidāt in pessimos & perfidissimos impostores: quod hoc loco Da-
uidi accidisse deprehēdimus. Admonemur ergo, ut quoniā sine amicitia uitā hanc nostrā trāsi-
gere nequimus, ut pios diligamus, cū quibus nobis primaria in religione societas esse possit:
deinde ut amicitia sanctē colamus. & si cōtingat ut fallamur, pro pijs improbos nacti, satius es-
se putemus hoc pacto delegisse amicos, & amicitiam inculpate custodiuisse, ac sic demū falli:
quā si apertē improbos deligamus, per quos postea nostro nobis uitio imponatur. Nam hoc
pacto eandem sortem feremus cum Dauide & sanctis omnibus: altero uerō, cum reprobis di-
gnas pœnas neglectæ pietatis dabimus.

PARS QUARTA.

Ego ad Deum clamabo, & Dominus saluabit me. **16**
Vespere & mane & meridie p̄cabor, & fremitū edā, & exaudiet uocē meā. **17**
Redimens in pace animam meam, à prēlio quod instituitur contra me, cum **18**
in multis sunt contra me.
Exaudiet Deus, & affliget eos, & sedet ab initio, Selah: quoniam non im- **19**

mutationes illis, & non timent Deum.

20 Misit manus suas in amicos suos, profanauit fœdus suum.

21 Os eius mollius butyro, & in corde eius bellū: leniora sunt uerba eius oleo, & ipsa sunt iacula.

22 Reijce in Dominum molestiam tuam, & ipse absoluet tibi omnia: non dat in æternum fluctuationem iusto.

23 Et tu Deus deduces eos in foueam corruptionis, uiri sanguinum ac dolosi non perducent dies suos ad dimidium usq; ego autem sperabo in te.

LECTIO.

Vers. 17.

Precabor, & fremitum edam.) Ebr. *אֶשְׁחַח וְאֶשְׁחַח*. Græc. & uulg. lat. Narrabo & annuntiabo. Hieron. Loquar & resonabo. Sic & Iustin. Pag. Loquar & tumultuabor. Felix: Loquar & strepitum faciam. Felinus: Precabor, uocemq; tollam. Tigur. Precor, & importunus sum.

Vers. 18.

A praelio quod instit. con. me.) Ebr. *מִמִּלְחָמָה*. Græc. & Vulg. lat. Appropinquatibus mihi. Sic & Hieronymus & Iustin. Felix, A praelio qd erat mihi. Sic & Pagnin. A bello quod est cōtra me. Cum in multis sunt contra me.) Ebr. *כִּי בְרַבִּים הָיוּ עִמָּדִי*. Græc. & Vulg. lat. Quoniam inter multos erant mecum. Hieron. Multi enim fuerunt aduersum me.

Vers. 20.

Misit manus suas in amicos suos.) Ebr. *בְּשִׁלְחָנָיו*. Græc. & Vulg. lat. In retribuendo. Hieron. Ad pacifica sua. Sic & Iustinianus.

Vers. 21.

Os eius mollius butyro.) Ebr. *חֶלְקֵי מִחֶמְצָא מִיֵּי*. Græc. & Vulg. lat. Diuisi sunt ab ira uultus eius. Hieron. Nitidius butyro os eius.

Vers. 22.

Et in corde eius bellum.) Ebr. *וְהָיָה לִי בֶלֶם*. Græc. & Vulg. lat. Et appropinquauit cor illius. Hieron. Pugnauit autem cor illius. Sic & Iustin. Felix, Et intimum cordis illius.

Vers. 23.

Et ipse absoluet tibi omnia.) Ebr. *וְהָיָה כָּל בְּלִי יָדָי*. Græc. & Vulg. lat. Et ipse te enutriet. Sic & Hieron. & Iustin. Felix, Et ipse sustentabit te. Pagnin. Et ipse feret te. Hactenus, quomodo ad Dominū clamauerit, & exaudiri se petierit, deq; afflictione sua & cordis angustia conquestus, ac ultionē hostibus imprecatus sit cōmemorauit Propheta: iā subijcit quomodo fiducia corroborata erga Deū, animum receperit, certus diuini auxilij, & ultionis hostiū. Agit autem postrema hac Psalmi parte Propheta per hos 8. uers. tria potissimum, quibus reliqua includuntur.

Primum.

Profitetur fiduciam suam, quam precando erga Dominum corde conceperat. Et hoc facit uers. 16. dicens: Ego ad Deum clamabo. & uers. 17. Vespere & mane & meridie precabor, & fremitū edam. Et uers. 22. adhortans seipsum: Reijce in Dominū molestiam tuam. & uers. ult. Ego autem sperabo in te. Hæc omnia declarant animum Prophetæ, plurimum concepta interpretationis seriæ ad Deū in angustijs factæ, qua fides laborans ac decertans tā potenter erigitur & corroboratur, ut recepto animo afflictus, dicat se porro speraturū in Dominum, clamaturum ad illū ac precaturum: & iam seipsum adhortari ac consolari queat dicens, Iacta molestiam tuā in Dominū. Ita scilicet solet diuina uirtus pijs mentibus lucē quandam suæ gratiæ ac beneuolentiæ in medijs aduersitatibus immittere, ut refocillentur, donec iusto tempore etiā externā illis auferat afflictionē. Deinde & hoc est notandū, quod dicit se clamaturum, precaturum, ac fremitum editurū, hoc est seriō imploraturum opē Dei, idq; uespere, mane, & meridie, id est, in desinenter: cum tamē concepta fiducia credat se exaudiendū diuinitus, & Deum sibi optimē uelle. Ergo non sunt ista nec animi malē de Deo sentientis, nec Dei erga suos difficilis ac duri indicia; si seriō sit ad illum, idq; noctes ac dies, clamandum, precandum, & infremendum: sed magis talia, quæ declarant fidei constantiam, & Dei erga suos prudentiam.

Secundum.

Certa persuasione concepta pollicetur sibi, facturum Dominum quæ in animi sui angustia, cum pro se, tum contra hostes suos precatus est. Vtpote pro se, uers. 16. Dominus saluabit me. Et uers. 17. Exaudiet uocem meam. & uers. 19. Exaudiet Deus, quod precatus fuerat initio Psalmi. Et uers. 18. Redimet in pace animam meam a praelio, quod instituitur contra me, cū in multis sunt contra me. Et uers. 22. Et ipse absoluet tibi omnia. Contra hostes uerō suos, quod sit illos puniturus, uers. 19. Deus affliget eos, quod illis erat imprecatus, dicens: Disperde illos, ac diuide linguam eorum: quodq; sit eos in foueam corruptionis præcipitaturus, ita ut dierum suorum ne dimidium quidem absoluant, uersu 23.

OBSER. I.

Notauimus suprà, quomodo inter precandum animus pij in angustijs constituti, fide auctiore facta corroboretur ac recreetur: hoc loco obseruandum uenit, quid corroborata iam fides de Deo credat: nempe, quod sit auditurus precantis uocem, quod sit afflictum liberaturus & saluaturus, ex magnis licet & extremis periculis, ubi de anima periclitandum est, idq; impetu bellico multis irruentibus hostibus: deinde quod sit impios puniturus ac perditurus, ita ut uix dimidio uitæ absoluto sint interituri. Sed unde ista tam certō sibi ipsi pollicetur? Exaudiet uocem meam, inquit, saluabit me. Redimet animam meam, affliget aduersarios, præcipitabit eos in foueam corruptionis. Quæ est horum certitudo? Nulla alia nisi fidei, & tamen certa. Neq; enim falsus est. Cognitio Dei fidei huius fundamentum est, quæ credit non

non apparentia, non uisibilia, nullis rationibus firmata, sed ab una Dei fide, bonitate, ueritate ac potentia, pendentia. Verum cur hæc credat, in sequentibus declarabit.

Deinde quærendū est, quomodo sentiat esse plagā Dei, quod dicit, Non perducet dies suos ad dimidiū: cum magis sit beneficiū, si rectè expendatur, citò ex hac miseria liberari: & Deus aliquando suos ob eam causam hinc abripiat, ne malicia mutet intellectū ipsorū, ut est in libro Sapientie. Respondeo: In pijs, & misere afflictis ita habet, quibus duplici nomine bonū est citò ex hac uita migrare, cum ut ex hac miseria liberentur, tū ut hinc ad Deum in ueram requiē migrent. In impijs uerò ac reprobis, bonorū oppressoribus, secus habet. Nā illis duplici nomine malū & infautū est citò excedere ex hac uita: primum quod ita priuantur suis delicijs & studijs carnis, in quibus sitā putant suam felicitatē. Deinde, quod ad æterna supplicia cum diuite Euangelico eo citius rapiuntur æternū puniendi. Atq; ita sequitur tertiū illud, quod in medio cursu impiorum conatuū moriuntur, imperfectis adhuc machinis ac dolis, quibus innoxios circumuenire & opprimere sategerunt. iuxta illud: Exhibet spiritus eius, & reuertetur in terrā suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Huc scilicet respexit Propheta.

Assignat aliquot rationes, cur credat facturū Dominū, quæ fuerat tā pro se quā contra hostes suos precatus, se uidelicet saluaturū, hostes uerò perditurū. Ponit autē aliquas in Deo, & aliquas in hostibus suis. In Deo, cū uersu 19. dicit: Sedit ab initio. Selah. Et uersu 22. Non dat in æternū fluctuationē iusto. Prædicat autem istis in Deo primum: immutabilitatē, potentiam & constantiam, qui nec mutatus sit, nec sede pulsus, sed semper aduersariorū suorū uictor declarauerit se esse Dominū, ad cuius nutū omnia necessariò gerantur. Hinc colligit idem illum facturū etiam in hac præsentī causa. Deinde eā in illo prædicat bonitatē, ut nequeat ferre sempiternā fluctuationē iusti, licet aliquandiu sinat illū iactari & affligi. Et ex hac bonitate Dei, quā certam in illo & constantē nouit, colligit illū hic quoq; idem facturū. In hostibus uerò suis reperit graues quoq; causas, unde certò cōcludit, perituros breui. Reperit eos contēptores esse Dei, uersu 19. Deinde uiros sanguinū, hoc est oppressores pauperū & innoxiorū: idq; nō aperta improbitate, sed qui teētī per simulationē amicitie, quā bellū in corde latens, & iacula mortis, ueluti melle quodā lethale acerbiter obtegant, dum amici putantur, pestilentissimā inimicitiam gerant, & ad perdendum aspirent. Hoc est, quod dicit: Misit manus suas (nā iterum loquitur de eo, cuius supra meminit uersu 12. 13. 14.) in amicos suos, prophanauit fœdus suum. Os eius mollius butyro, &c. Itē: Viri sanguinum ac dolosi. Tertiò, ut obstinationē illorum notet, dicit eos esse immutabiles, uersu 19. Cū ergo Deus sit iustus, odio habens & uindicans omnē nominis sui contēptum, crudelitatem, innoxiorum oppressiōnem peruersam amicitie simulationem, deinde immutare nequeat, isti uerò uicissim immutari non poterant: quid aliud credi poterat & colligi ex his causis, quā breui improbos istos ultione diuina perituros?

Videmus hoc loco, exēpli uice nobis præscripto, unde sancti fidei suæ corroboratiōe & animorū refocillationem, in quibusuis afflictionibus petierint, nempe ex infallibili diuini nominis cognitione. Cognouerunt Deū esse omnipotentē, sapientē, omnia disponentem, iustū, bonum, misericordē, fidelem ac ueracē, & si qua sunt in Deo huiusmodi alia. Ex horū certitudine & perpetua constantia facile collegerunt, quid sperandū esset, quid non. In istis est exercitium pij hominis, non solū, ut in ijs exemplis, quæ habet sacra pagina, sed & in omni mūdi huius gubernatione obseruent istorū immutabilitatē. Ego Deus inquit, & non mutor. Qualis à seculo deprehensus est (deprehensus autem est, qualem se declarauit) talis deprehēdetur perpetuò. Quoniam non mutationes illis.) Notanda est hæc particula, ut discamus certissimū esse exitiū futurū illis, qui impœnitentes in malo perdurant, nec ullo pacto mutari sustinent, non minus, q̃ si obstinato animo & inflexibili cursu uideas aliquē uel in ignē, uel in profundā abyssum ferri. Tā enim non mutatur Deus ignis consumens, quā istorū elementorū natura nō mutatur.

Deum non metuunt.) Hoc quasi causa præcedenti subiectū esse apparet, ut ostendatur, cur improbi in malo immutabiliter perseuerēt. Quia uidelicet Deū non timent. Ergo ubi deprehēditur contēptus Dei, ibi nō potest sperari resipiscētia. Vbi illa sperari non potest, ibi nihil aliud quā ultio diuina expectari potest. Terreat hoc, & cōsoletur. Terreat, ut resipiscamus & mutemur, quādoquidē Deus nō mutatur, ne pereamus: cōsoletur, qđ hinc intelligere licet hostes uerbi, dum obstinationē induerūt, non tā esse ueritatē oppressuros, quā seipsos perdituros.

PSALMVS LVI.

TITVLVS.

Insigne Dauidis, ad præcinendum, de columba muta procul inter alienos constituta, cum comprehendissent eum Philistiim in Gath.

Hæc historia aperta est, lib. 1. Sā. cap. 21. Commiserationē autē mouet statim ipse titulus, in eo quod se assimulat colūbæ (animati innocuo) procul aufugatæ, & ueluti in mediū accipitrū cū summo periculo pulsæ & captæ, quibus quasi cōqueritur se ē populo Dei ad extraneos & hostes cū summo uitæ discrimine

OBSER. II.

Sapient. 4.

Lucæ 16.

Psalm. 145.

Tertium.

Quidā ista ex
ponunt in plu
rali, & intelli
gunt de pacifi
cis ac fœdere
Dei.

OBSER. I.

Malac. 3.

OBSER. II.

Ver. 19.

Deut. 4.

OBSER. III.